DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. DECEMB.

M. FRANCISCO LANDRIEV, Doctore Medico, Præside.

1023.

An aliquando etiam ante morbi vigorem purgatio?

NATVRA vt caloris natiui beneficio, benigni, quem sibi retineat humoris πέψιν perficit, sic τῶν νοσημάτων ἰατρός, eodem vitiosi, quem expellat, πεπασμόν aggreditur. In vtroque crassitudinem efficit, quæsi iuuet alimenti retentionem, procul dubio noxiorum arcet excretionem, preterquam in thoracis affectionibus. In horum tamen πεπασμόν sensim incumbit toto morbi tempore, initio, in incremento, statu, & declinatione, ac acriùs quidem vigore, nec quidquam eliminat nisi ex parte coctum, quod fit aliàs initio turgente & vrgente materiâ. Ex coctionis celeritate vel tarditate, morbi breues vel diuturni dignoscuntur: pituitosi seriùs, biliosi citiùs subeunt coctionem: in illis vt nulla insignis est perturbatio, sic noxius humor maiori ad exitum indiget apparatu; attenuandus, incidendus, detergendus; in his vt plurimùm solummodò mitigandus.

IN morbis à noxiâ materiâ pendentibus Medicus, cuius scopus humoris peccantis est eliminatio, naturæ legibus semper non est addictus, contemplari debet humoris concoctionem, ita vt primis morbi diebus tum alimentorum, tum medicamentorum ope, eius studeat tenuitati. Hæc humores purgationi reddit idoneos, quæ fit eò feliciùs, quò sunt tenuiores; quâ ratione bilis, pituitâ; hęc, melancholico succo priùs amandatur. Eadem tenuitate feruentior ac copiosior succus ὀργασμόν efficit, cuius coctionem expectare tibi non licet, vt neque mitioris initio tenuitate præditi, quem confestim debes expurgare, demptâ tamen priùs plethorâ. Coctusne tenui faciliùs euerritur? etsi cocto naturam habeamus adminiculantem, quia tamen grauis impendet metus ne, aut deterior euadat affectus, aut laborantem ante perfectam coctionem iugulet, tutior videtur succi tenuitas ad purgationem, qui ante morbi statum exigi potest, dum non omni sit destitutus coctionis rudimento.

MALIGNVS affectus ab eximiâ humorum putredine suam ducens originem, quò præsentius minatur periculum, eò maturiùs maiorique cautione maligni succi vacandum eliminationi. Blandis pharmacis reprimendæ ferocientis humoris malignitati si studeas, non modò tempus teris, verùm & malignitatem auges. Bubones maligni, pestilentes, ferro statim aperiendi. In febribus malignis venæ sectio multoties repetita vtilis est, quæ vitiosi quidpiam detrahit succi, sed & ab hac vel initio necessaria purgatio, quæ eò vehementioribus instituenda est καθαρτικοῖς, quo ferocem malignumq; humorem demulcere minus valemus. Hæc suadent febres malignæ annis superioribus passim grassatæ, quas si obseruâris, ventre à naturâ vel arte soluto maiori ex parte solutas fuisse fateberis: an benignis, an mochlicis purgantibus? his multi percurati sunt, multi ad plures iêre, qui illis seruati non fuissent. Infelices ne ægri, quorum salus pendet ab ijs, qui suæ pertinaciter adhærentes opinioni, eos fato malunt relinquere quàm μοχλικόν τι, putà stibium exhibere?

AB hac methodo non excludas apoplexiam, epilepsiam, affectusque soporosos, quâ fætida colluuies illicò reuellitur ad corporis sentinam; sed valeant isthæc remedia in morbis minus vrgentibus: benigniora nostra fert ætas, quorum vsui potest esse locus toto morbi tempore; nisi accerrimo morbi vigore: initio maximè ad expurgandas vias publicas: incremento, morbi minus vrgentis tempus obserues, potiones ex folliculis, Tamarindis, Cassiâ, aliis vehementioribus preferens. Imitari semper non debes naturam, quæ nisi acrimoniâ vel multitudine humoris stimulata ad excretionem se se non accingit etiam post perfectum πεπασμόν. huius καιροῦ neglectu natura morbi leuioris curationi intenta sæpiùs incidit in grauiorem, cum è contra passim hac methodo vehementiores mitescant affectus. Cur Medicus inter purgandum cautiùs, quàm dum multoties venam secat ad crisim respiciat?

NVLLATENVS ergo vereatur Medicus ante morbi vigorem vti purgantibus, modo nulla subsit in precordiis inflammatio. In horum vsu ante vigorem opportuno elucescit eius industria, quâ morbi vel breuiores euadunt, vel securiori tranquillitate soluuntur, imò in speciem exitiales, fiunt salutares. Non secus ac prudens ille censetur exercitus Imperator, qui hostilibus copiis consultò & sensim huc illuc dissipatis, totum exercitum in summum adduci discrimen non patitur, peritissimus sic erit Medicus, qui noxium humorem partitè euerrendo initio, & incremento morbi, pugnæ ancipiti naturam non committit. Ita enim non adeo ferociet morbus, non tàm grauia erunt symptomata, minus laboriosè, & paucioribus diebus resurgent vires nullo metu recidiuæ, nulla erit vel ἀμβλυωπίας, vel hydropis, vel cuiusdam frigidæ ægrituditudinis venturæ suspicio. Vno verbo citiùs & tutiùs hac methodo ægrotans pristinæ restituetur sanitati.

Ergo aliquando etiam ante morbi vigorem purgatio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Landrieu, Præses.	*M. Franciscus Lopes.*	*M. Petrus Legier.*
M. Antonius de Sartes.	*M. Carolus Baralis Medicus Regius.*	*M. Ioannes Chartier Prof. & Med. Reg.*
M. Daniel Arbinet.	*M. Franciscus le Vignon.*	*M. Ioannes Riolan Sch. Ant. M. & Reg. Profes. Decan.*

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS LE LETIER Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LIII.